



# **Disputatio juridica de justitia et jure nona: quae est de principum constitutionibus**

<https://hdl.handle.net/1874/235057>

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JUSTITIA ET JURE,  
NON N. A.  
*Quae est de*  
Principum Constitutionibus,

*Q V A M*

Favente Deo Opt. Max.

S U B P R E S I D I O

*Viri Clarissimi,*

D. PAULI VOET, Juris in Illustri Aca-  
demia Ultrajectinâ Professoris ordinarii.

*Publicè ventilandam proponit*

JOHANNES NADANYI Ungarus,

*Ad diem 8. Decembris, horis locoque solitis:*



ULTRAJECTI;  
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,  
Anno cœlo c. LVIII.

A D I C L A S S I U M  
Reverendis Clarissimisque Viris 210

- D. G I S B E R T O V O E T I O , Sacro S. Theologiz Doctori acutissimo, ejusdemque facultatis in Alma Trajectensium Academia Professori celeberrimo. Ecclesiæ ibidem Pastor i Vigilantissimo.
- D. P E T R O B. S Z A T H M A R I , Ecclesiæ quæ Deo apud Patakinos colligitur administratori fidelissimo.
- D. A N D R E Æ S. T A R P A I , In præfata itidem Ecclesiâ sedulo Verbi divini Ministro, Dominis sibi observandissimis.

N E C N O N

Clarissimis magnique nominis Viris.

- D. P A U L O V O E T , J. U. D. Ejusque Facultatis in Alma Trajectensium Academia Professori dignissimo, Cameræ Vianensis asseffori prudentissimo, Præsidi observando.
- D. S A M U E L I E N Y E D I , M. D. expertissimo Scholæ Illustris Varadiensium Rectori, ibidemque Phylosophia Professori acutissimo.
- D. D A N I E L I V O E T , L. A. M. M. D. Metaphysicæ & Logicæ in Illustri Trajectensium Academia Professoris subtilissimo, singulis Præceptoribus sibi observandis, honorandis.

D. D. D.

J OHANNES NADANYI.

# DISPUTATIO JURIDICA

DE

## Constitutionibus Principum,

### THEISIS I.



Bsoluta disputatione de *Lege Regiæ*, quæ Principi, etiam in se populus omnem potestatem concessit; adeoq; respublica olim libera in Monarchicum statum est conversa: explicandum supereft, quænā hinc jura in Principem sint translata. Certum equidem est, illa omnia jam esse Principis, quæ sunt potestatis supremæ. Princeps enim magistratus non est, verum supra magistratum, ut loquitur *Cujac. ad tit. de orig. jur.* Ut multa ei propria sint, atque peculiaria, quæ *regalia, majestatica*, dicta; jure magistratus nulli in imperio, post Principem competentia.

### II.

Eo referri non incommodè poterunt, legis-latoria potestas, interpretatio, dispensatio, legis strictæ moderatio, Privilegiorum concessio, asylorum constitutio, litterarum moratoriarum tributio, restitutio famæ, legitimatio, natalium restitutio, ætatis ivenia, arrogatio, iuramenti relaxatio, aliquaque multa, moribus & generali consuetudine recepta. §. sed & quod Principi. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & civil. l. 1. ult. Cod. de legi. 2. §. 18. Cod. vet. jur. Encl. l. ranta.* §. sed quia. de Confirm. Dig. — l. 1. §. 2. D. Princip. constit. l. 1. §. Idque à Principe. D. de Aquâ Quot. & Aſſiv. — Solūt. Instit. Qui sui vel alieni jur. tit. Cod. de hi qui ad stat. conf. — l. quoties. Cod. de Precib. Imper. Offer. — l. 1. §. eum qui. l. 10. §. 10. D. de Postul. l. 1. Cod. Sent. Pass. — tot. tit. D. de Natal. Restit. — l. 1. & 3. Cod. Qui ven. atat. impetr. — l. 2. in princ. D. de Adopt. l. 6. Cod. eod. §. Imperatoris. Instit. eod. — l. 38. in Princ. D. Ad Munic. D. ad c. unicum; Que sunt Regalia. Merula Prax. civil. libr. 1. tit. 4. cap. 1. artic. 15. Sixtinus de Regalibus. Besold. ejusque frater, de lib. jur. ex libr. 1. P. num. 11. & seq.

A 2

Verum

Verum tamen quia maxime Principis cernitur potestas , in ferendis legibus , abrogandisque , ideo ex professo , de jure à Principe constituto , agere decrevi. Eo nomine veniunt diversa , quæ generali appellatione *Placita* , & *Constitutiones* , appellantur : cum quod Principi placuit , legis habeat vigorem. Ut id tamen accipiendum sit de tali Principe , qui sic animum suum instituit , ut nihil velit , nisi quod justum , honestum , reipublicæ utile , atque salutare: cuique nihil lubeat , nisi quod liceat. Neque enim eum aliam à populo accepisse potestatem affirmare ausim. Præsertim cum Principem non in alios usus à Deo Reipublicæ datum esse testetur ipse Imperator. Et in super Principis autoritatem à juris dependere auctoritate fateatur. *l. 1. D. de Princ. Constit. Arg. l. 2. D. eod. l. 4. Cod. de leg. l. 3. Cod. de Testam. Nov. 73. Hottom. ad S. 7. Inst. Jur. Nat. Gent. Civil. Baldwin. comm. ad d. S. 7. Zoes. D. Constit. Princ. Perez. Cod. de leg. num. 4.*

## IV.

Nec tamen omnia , quæ Principi placent , licet non iniqua sint , legis habent vigorem , nisi etiam Principi fuerit animus *πειθεῖν τοὺς νομοδέτους*. id est , quod ei visum fuerit , ut loquitur Alber. esse legem & legis habere vigorem. Adeoque aliquid constituerit non temere aut temerarie , verum deconsilii sui sententia. *l. 8. Cod. de leg. & const. Nov. Leon. 9. 2. Cujac. Parat. Cod. eod. Albèr. Gent. disp. de libr. jur. canon. p. mibi. 2. 1. Baldwin. loc. ante alleg. Merul. prax. civil. libr. 1. tit. 4. cap. 1. art. 11. 18. & cap. 4. artic. 1. Zyp. Jur. Pontif. Anal. Enarrat. libr. 1. tit. de Constit. p. 11. Perez. Cod. de leg. num. 4. Zoes loc. alleg. num. 2. Tulden. tit. Cod. de leg. num. 3.*

## V.

*Placita* vero Principum in specie , sunt Decretum , Edictum , Oratio , Mandatum , Rescripta , subscriptio , adnotatio , epistolæ , pragmatica sanctio , interlocutio. Decretum est sententia definitiva (de interlocutoriā post modum agendum) causā plene cognitā , & partibus communis constitutis à Principe inter easdem lata. Ut si in absentem lata sit , non statim vim legis generalis obtineat: eo quod magis ob partis contumaciam lata videatur , quam ob causæ ipsius iniquitatem. *S. 7. Instit. de Jur. Nat. Gent. Civil. l. 1. D. de Constit. Princ. l. 3. D. de His quæ in Test. delent. Lult. in Princ. Cod. de legibus. Arg. l. qui repudiatis. 17. D. de Inoffic. Testam. Baldwin. in Comm. S. 7. v. decrevit. Instit. de Jur. Nat. Gent. Besold. Oeconom.*

V I

*Edictum est, quod Princeps ordinarie spontaneo motu, quandoque etiam ad suggestionem alicujus constituit, & jubet ut fiat, atque generaliter observetur. Quasi legem aliquam novam, & jus novum consti- tueret. Cujus plerumque initium est: Hac perpetua, vel, hac perpetua valiturā lege sancimus. Quod etiam edictum non sine consensu Senatus (in speciem scil. alicujus libertatis) promulgari debet. l. 3. Cod. de leg. & Constit. l. hac editali. Cod. de Secund. Nupt. -- l. 8. Cod. de leg. & const. l. 22. in fin. Cod. Sacros. Eccles. l. 1. in fin. Cod. Testam. Milit. Theoph. ad §. 7. Inst. de Jur. Nat. Gent. Hottom. ibidem. vers. per epistolam constituit. Bocer. class. 1. disp. Pand. 3. num. 24. Wurmser. Nucl. jur. contr. libr. 1. tit. 2. contr. 5. num. 5.*

V II.

*Oratio est, (quæ abusive appellatur epistola in l. unic. in fin. D. Offic. Quest.) cum Princeps modestius se gerens, quod ipse suā poterat statuere auctoritate, ultro ad Senatum refert, ut quod sibi placeret, S. C. confirmaretur. Unde etiam in jure celebrantur plurimæ Orationes Principum, Severi, Marci, Antonini, Adriani: quæ etiam quandoque Senatus-consulta appellantur. l. 8. Cod. de leg. & Conf. -- l. 1. D. de Rebus eorum qui sub tut. l. cum hi. D. de Transl. l. divis. D. de Serv. fugit. l. pen. D. Ad Sen. Tertull. l. cum hic status. D. de donat. inter vir. & uxor. l. si & rem. §. illud. D. Petit. hæred. - l. item veniunt. S. pridie. D. eod. Baldwin. comm. ad §. 7. vers. consti- tutiones appellantur. Inst. de Jur. nat. gent. civil. Cujac. Parat. Cod. de leg. & const.*

V VIII.

*Mandatum est, Präceptum, sive monitum, sive iussum, quod certis personis à Principe datur, veluti præfectis & Procuratoribus, etiam illis, qui de negotio aliquo cognoscunt, vel illud exequuntur. Taleque præceptum vulgo *Commission* appellari solet. Neque nuncis, aut ministris, aut apparitoribus sine tali instrumento, credi solet, aut oportet. tot. tit. Cod. de Mandat. Princ. l. prohibitum. Cod. jur. fisc. l. neminem. Cod. Re milit. l. Prohibitorias. Cod. divers. offic. Cuiac. Parat. Cod. mand. Princ. VVurmser Nucl. jur. contr. libr. 1. tit. 2. contr. 5. 6. Christin. 2. decis. 64. Baldaxar de Angel. in Prato super. l. Cod. tit. 18. ad l. si quis unica, ubi & addit limitationes. vid.*

A 3

Goris.

IX.

Unde etiam Mandatum, quod ex scripto non constat, nullius est momenti, neque aliter probatur, nisi per scripturam; ut secretum si dicatur, non admittatur. *l. 1. Cod. de Mand. Princ. l. 5. in fin. D. de Jur. Fisc. Cujac. loc. cit. Tuld. comm. Cod. cod. num. 2. Christin. loc. cit.* Exceptis tamen nonnullis casibus, quibus & sine scripto mandatum valet. Ut si quis ex ore Principis se haberet dicat. &c. *l. 2. Cod. Mand. Princ. Nov. 113. c. 2. nov. 17.* Quod etiam in Legatis obtinere censet Tuldenus, qui licet credentiae litteras, ut loquuntur, exhibere teneantur; non tamen mandatum a Principe sibi scripto traditum proferre, ne arcanum publice vel hostibus, vel aliis pandantur. *Tuld. in Cod. tit. de Mand. Princ. num. 3. per Paschal. de Legatis. c. 59.* Plura qui cupiat de Mandatis (quae etiam vulgo mandamenta appellantur) deq; variis eorumdem acceptioibus, divisionibus, adeat *Mindanum* prolixè differentem tract. *de Process. libr. 2. c. 1. & seq.*

X.

Verum anxie hic quæsitum, utrum Principis *Mandato* indistincte sit parendum? Resp. Aut aliquid mandat, quod juri divino, atque naturali sit contrarium, quod conscientia non errantiad versetur. Aut quod juri civili positivo atque mutabili repugnet. Si prius, nemo mortaliū Principis mandato tenetur auscultare. Ratio prima est, quod in concursu magis sit parendum Deo, quam homini. Idque ad exemplum & monitum apostolorum, aliorumque virorum piorum. *Acto. c. 4. v. 19. c. 5. v. 29. Ephes. cap. 6. vers. 1. Coloss. cap. 3. vers. 22. 1. Petr. cap. 2. vers. 17. 1. Sam. cap. 22. vers. 17. Prov. cap. 8. vers. 15. & cap. 24. v. 21. Arg. Matth. cap. 22. vers. 21.* Ratio secunda est, quia tum Princeps foret terrori, non tantum malum, sed etiam bonum operantibus; contra Apostoli dictum *ad Roman. cap. 13. vers. 3.* Nec etiam foret Dei minister in bonum, & ad bonum. *d. cap. 13. vers. 4. & 6.* Ratio tertia est, quia leges divinae & naturales sunt extra limites principatus, & supra Principem. Neque enim ullibi eas Deus Principi summisit. Ut in earum præjudicium nihil mandare possit. Quemadmodum nihil potest, contra naturam, pietatem, & bonos mores. Neque enim id velle credendus est Princeps, quod juste velle non potuit. Sic ut tali in casu mandatum nullius sit momenti. Quasi non concedenda tribuerit. Et quemadmodum extra territorium & imperii

periū metas jus dicenti , impunenon paretur ; ita etiam sine vitio obse-  
quium taliter mandanti denegari debebit . Arg.l. 35. Cod.inoff.Testam.l. 19.  
Cod.de Testibus.l. nepos Proculo. D.verb.Signif. Argum. §. 2. vers. neque e-  
nim. Instit.de Usufr. l. 23. in fin. init. & §. 1. Cod.de Nupt. l. 15. in fin. D.  
Condit. Instit.l. 1. Cod.de Pet. bon. subl. libr. 10. l. ult. D. de jurisd. Barbos.  
Princ. & loc. comm. ad litt. n. num. 38. 39. & seq. Tulden. Cod. tit. de divers.  
Rescript. num. 4. Perez. ad tit. Cod.de jure Fisci. Christlin. vol. 1. decif. 130.  
num. 9. Schichard. de jur. Reg. Hebr. cap. 4. Theor. 14. p. 104. Danaus Ethic.  
Christian. libr. 2. cap. 12. Ames. Medill. Theol. libr. 2. cap. 17. num. 54. &  
seq. Et in explic. Analyt. ad 1. Petr. 2. vers. 13.

Ut Sacrilegium nullo merito dicitur committi , ab iis , qui inquirunt ,  
utrum Principis mandatum , aut jussum , sit licitum in conscientia , nec  
ne? Nisi quipiam vel jura civilia dissimulare velit , vel ipsos apostolos  
Christi sacrilegium commisisse , audeat asserere . Vel eandem Principi  
potestatem tribuere cupiat , quam canonistae Pontifici Romano , quod  
caeleste habeat arbitrium , & quamvis animarum catervas ad inferos de-  
truderet , non tamen licet inquirere an jure id faciat , aut cur hoc faciat ?  
Arg. l. 3. Cod. si minor se major. l. 3. Cod. si contr. jus. l. 10. Cod. de Jur. fisc.  
Gotesfied. ad l. 15. D. cond. instit. ad nov. 105. c. 2. in fin. - Arg. dd. textuum  
scripturae - c. quanto. de Transl. Episcop. ibidemque Gloss. c. si Papa. distinct.  
40. Neque obſt. l. 3. Cod. de Sacril. crim. Ibi quippe agitur de casu , quo  
Princeps aliquid absolute voluit , quod erat meri juris civilis , seu positi-  
vi , adeoque suberat Principis potestati , quales erant munera largitio-  
nes , concessiones Privilegiorum , & quae sunt plura alia Principi con-  
cessa. vid. l. 1. Cod. de Dom. & Prot. l. 1. Cod. Ut dignit. ord. lib. 12.

Unde si Princeps quid mandet , ( quod erat posterius distinctionis  
membrum ) juri civili positivo & mutabili adversum , parendum quidem  
erit de jure , non tamen indistincte . Ratio est quia si quid Princeps con-  
tra jus partis mandaverit , censebitur mandatum per sub & obreptionem  
esse impetratum . Aut si quid durius vel severius jussiterit , per 30. dies  
qui mandatum exequitur expectare poterit , & debebit , quod sperandum  
bonum Principem de ea severitate quid esse relaxaturum , ut nec hic sa-  
cilegium committatur , si dubitetur , aut disputetur de Principis volun-  
tate . Præsertim cum Principis auctoritas à juris pendeat auctoritate . l. 2.  
l. ult. Cod. Si contr. ius vel util. l. 20. Cod. de pen. l. 4. in fin. Cod. de leg. & Conſtit.

XI.

*Rescriptum* est, quando Princeps ad libellos præsentium, vel absen-  
tium Magistratum, judicum, privatorum, de jure consultantium re-  
spondet. Nam libellos litigatores Principi offerebant; quibus ipse de  
consilii sententiâ respondebat. Et Magistratus si quid obscurius, vel gra-  
vius ad se delatum esset, per litteras Principem consulebant; isque ad spe-  
ciem sibi propositam responsum suum mittebat. Quod si Princeps per  
rescriptum præsentibus responderet, *Adnotatio*, &c *Subscriptio* appella-  
batur. Si absentibus, *epistola*, seu *littera*. Quod si idem rescriptum, non  
de privatorum negotiis, sed officiorum, corporum, ordinum, & colle-  
giorum causis, etiam nonnunquam ad judicium relationem, de consilii  
sententiâ, diligenter & diffusius emissum fuisset, *Pragmatica sanctio*,  
indigebatur. l. 19. §. 9. D. loc. cond. l. 17. D. de Jur. Patron. -- l. 3. D. de Te-  
stibus. l. 31. D. de Re jud. l. 7. D. de in integr. Resit. l. 4. in fin. princ. D. leg.  
commis. -- l. 1. §. 1. D. Constat. Princip. l. 9. §. 5. D. jur. & fact. ignor. l. 4. Cod.  
loc. cond. -- l. 7. §. 1. Cod. de divers. Rescript. & Pragm. Sanct. Donell. 1. com-  
ment. cap. 9. Cujac. Parat. Cod. Divers. Rescript. in fin. & ad l. 2. Cod. de pet.  
bon. subl. libr. 10. vid. & l. 4. Cod. de domest. & Protect. libr. 12.

XII.

Quæsitum autem, utrum Principis rescriptum habeat vigorem legis  
universalis? Resp. Quia sèpissime rescriptum, ob particularem aliquam  
circumstantiam datur, & ad speciem certam est accommodatum, non  
videtur generalem continere juris definitionem. Nisi tamen Princeps  
voluerit, eam esse ad instar regulæ universalis. l. 2. Cod. de leg. & constit. Cu-  
jac. Parat. Cod. eod. Hilliger. ad Donell. 1. comment. cap. 9. alleg. per Besold.  
oiconom. jur. tit. 3. 4. libr. 1. D. ad num. 10. in fin. Zoef. D. de Constit. Princ.  
num. 4.

XIII.

Idem quod de *Interlocutione* dicendum; quando scil. Princeps, quasi  
inter aliud agendum, & loquendum, quid constituit. Quod enim in u-  
no negotio ita prolatum, nihil præjudicat in commune. Non magis at-  
que res judicata alii nec nocet nec prodest. Nisi tamen satis appareat,  
hanc fuisse Principis voluntatem, ut ab omnibus in posterum idem ser-  
varetur. Forte, si ad senatum missa, ut confirmaretur; si edictivocabulo  
nuncupata; si iussa divulgiari; si inter alias ejus constitutiones relata.

l. 1.

l. 1.D. de Constit. Princ. l. 2. 3. Cod. de leg. & Constit. l. 9. S. 3. D. Quod Met.  
caus. Balduin. ad §. 7. vers. decrevit. Instit. de jur. nat. Gent. & civil. Duaren tit.  
D. de Princ. const. vid. Fabrum in Ration. ad d. l. 1. Connan. 1. Comm. 16. num.  
3. Pacium 1. Enant. quæst. 17. Zoes. D. de Princ. const. num. 7. VVurmser. Nucl.  
jur. contr. libr. 1. tit 2. . contr. 5. à num. 9. usque ad finem.

#### XIV.

Non omne tamen rescriptum à Principe impetratum valet; ne quidem respectu illius negotii quod concernit. Quid si enim per sub & obreptionem sit impetratum? Id est, tacitâ veritate, vel expresso mendacio. Unde ut excutiatur rescripti veritas, etiam à Sententiâ, interveniente rescripto lata, provocari poterit. Nisi tamen aliquo expresso, vel non expresso, Princeps nihilominus rescriptum in gratiam partis concessisset. Quod quale sit, arbitrio judicis est relinquendum, qui id ipsum suo committet examini. Unde etiam rescriptum à judice ratum est habendum, quod moribus appellatur interimatio. l. 1. D. de Natal. Resit. l. pen. Cod. Si contr. jus vel util. public. l. 7. Cod. de Divers. Rescript. & Pragm. Sanct. — Nov. 153. l. 1. S. 1. D. de Appell. l. 1. Cod. Eod. — l. 1. Cod. si contr. jus vel util. public. Cravett. consil. 592. num. 7. 8. Christin. 2. decif. 22.

#### XV.

Unde quæsitum, utrum surreptio, vel obreptio in beneficiis aut Privilegiis, vitiet gratiam eorum quæ impetrata? Resp. quod ita. Mendax enim precator careat impetratis oportet; & qui in leges impingit, eorum beneficio censemur indignus. l. 2. l. 5. Cod. si contr. jus vel util. Public. Argum. l. 37. in fin. D. de Minor. Tiraquell. de Pœn. caus. 44. Schurf: consil. 7. cent. 2. ablegati apnd Tulden. Cod. Si contr. jus. num. 5. ibidemque alii. Christin. 2. decif. 23. Baldax. de Angel super' in Prato tit. Cod. Si contr. jus. ad l. 1. 2. & seq. Barbos. in coll. ad d. l. 5. vid. Martin. Vran. Tom. 1. consil. 19. num. 44. & seq.

#### XVI.

Non itidem valet rescriptum, si contra jus vel utilitatem publicam sit impetratum. Nisi tamen eo non lædatur aut parum lædatur jus tertii, aut expressa clausula Princeps deroget juri communij de quo casulatius in sequentibus. Si Principis subnotationem, diem & consulem non habeat. Sacrae tamen iussiones forte tantum desiderant subscriptionem Quæstoris Palatii. Et generalia rescripta valent, in juris corpus relata, licet diem & consulem adscriptum non habeant. l. 3. l. 7. Cod. de Prec. Imper.

per. offer. l. ult. Coa. si contr. jus vel util. Publ. -- d.l. 2. 4. 7. Cod. de Precibus imper. offer. -- l. 4. 6. Cod. de divers. Rescript. ~ Nov. 114. -- Justinian. in const. a Novell. Cod. fac. & de Justin. Cod. Conf. Bald. ad l. 3. Cod. de Prec. imper. offer Cujac. Parat. Cod. de Divers. Rescript. Bocer. class. 1. Disp. 3. P. Perez. Cod. Si contra jus Christin. 2. decis. 2 2. 2 3. Barbos. Collect. Cod. ad l. 1. de Prec. Imp. off. Et ad l. 6. Cod. de divers. Rescript.

## XVII.

Non insuper valet rescriptum, si lite pendente vel post sententiam sit petitum, exceptione exjure novo adhibita. Si non sit adjecta clausula: si preces veritate nitantur Quod tamen jure canonico secus est. Si forte per rescriptum justitiae secundum leges administratio tardetur, impediaturve. Generaliter si impetratum super eo quod oblatis Precibus postulari prohibitum est. Nisi prohibitionis in rescripto facta sit mentio: tit. Cod. ut lite pend. Nov. 82. 113. -- d. Nov. 113. c. 1. l. 2. Cod. ut lit. Pend. -- l. ult. Cod. de Divers. Rescript. -- c. 2. de Rescript. d. Nov. 113. -- l. 2. l. 5. Cod. de Prec. Imp. offer. -- Cujac. Parat. Cod. hic. Cravett. consil. 502. num. 60. & seq. & consil. 730. Tessaur. quest. Forens. libr. 1. quest. 4. Christin. vol. 2. decis. 70. num. 3. 4. Tuld. Cod. Si contr. jus. num. 4. & ult. Baldaxar de Angel. Pratum super Cod. tit. libr. 1. tit. 2 3. ad l. 7.

Ponatur rescriptum aliquod esse impetratum, an exemplum ejusdem, an potius authenticum judici insinuandum erit? Resp. Quod posterius Affirmandum. Quid si post annum demum intentatum aut in si nuatum? Nihil obstat, quominus effectum sortiatur. Secus quam obtinere volunt de jure canonico. Eriam distinguunt inter rescriptum gratiae & justitiae. Quasi illud sit perpetuum, hoc annale l. 3. Cod. de divers. Rescript. l. 1. Cod. de Fid. instrum. Christin. vol. 2. Decis. 78. num. 5. 6. ubi addit limitationes. Baldaxar de Angel. in Prato ad tit. Cod. de Rescript. l. 3. -- l. 2. Cod. de Divers. Rescript. l. 2. & ult. Cod. Theodos. eod. Perez. Cod. hic. num. 4. Tuld. tit. Cod. eod. num. 2. Qui diss. inter jus can. & civ. non admittit. vid. Christin. 2. vol. Decis. 78. 79. Bald. de Angel. libr. all. ad l. 2. Cod. de Rescript. -- Christin. d. vol. decis. 77. num. 2. 3. & decis. 80. num. 3. & 6. Faber. Cod. libr. 1. tit. 1 2. defin. 6. Perez. loc. cit.

## XIX.

Quid si error alius in litteris in constructione sit commissus, ante scriptum vitiabitur. Resp. Si rescriptum in substantialibus sit legitimum

sum, modicus ille defectus non tollet rescripti effectum, aut adferet ullum impedimentum. Idem quod dicendum, si vitium aliquod occurrat in latinitate: Præsertim cum rescripta plurima imperatorum ante aliquot secula illatinas contineant phrasēs, & voces. Idem quod affirmandum de errore in nomine commisso. c. i. i. de fid. instrum. & Gloff. ibid. Arg. l. i. §. 5. D. de Hered. iustit. l. 7. l. i. 5. l. 24. Cod. de Testam. l. 21. Cod. de leg. Arg. dd. ll. D. D. apud Panorm. in c. ad audientium manifestum. v. de Rescript. all. apud Spechan. diff. centur. i. Quæst. jur. 75. - Argum. l. antepen. D. de judic. l. in vindicationibus D. de Cont. Empt. l. si in nomine D. vers. Oblig. Martin. Uran. tom. i. consil. 19. num. 32. & seqq.

## XX.

Quid si rescriptum Principis sit generale, an extendetur ad ea, quæ vel juri communī non congruenter, vel difficulter Princeps concederet? Respondeo, quia hoc respectu rescriptum Principis censetur esse stricti juris, verba ejus pressè sequemur, nec ea supplicationi convenienter extendimus, ne quidem ex identitate rationis. Præsertim si ille casus, in quo eadem subest ratio, jure communī sit decisus. l. i. §. 5. & 10. 16. D. Ne quid in loc. Puplic. Bald. in l. i. D. Constit. Princ. Alciat. 3. Presumpt. i. 2. Cravett. consil. 172. num. 2. & 4. & conf. 387. & conf. 591. num. 77. & conf. 730. Faber in Cod. tit. de leg. & Constit. Burbos. coll. inl. 6. Cod. de Precibus Imper. offer. num. 3. & 5. Gotefred. in comment. add. l. i. C'ristin. volum. 2. decif. 22. num. 4. ibidemque alii. Tulden. ad tit. Cod. si contr. ius vel util. Public. num. 3.

## XXI.

Verum poteritne Princeps suo rescripto jus tertio quæsitum auferre? Respondeo, non id poterit nec debebit, & ideo non præsumitur hoc voluntis, ut rescriptum quo tale quid, impetratum non valeat: quo tamen casu ratio status, publica utilitas hoc suadet, sic id facere debebit, ut quod incommodi, vel damni suo rescripto dedit, vel intulit, alio quo commodo, vel utilitate compenset. §. ult. vers. nec cuiquam hominum. In-  
stit. de his qui sui vel alieni iur. l. 2. §. 5. & 10. D. Ne quid in loc. publ. l. id quod nostrum. D. de Reg. iur. l. 2. 3. & 7. Cod. de Prec. imper. offer. l. 10. Cod. de Sacros. Eccles. ult. Cod. de locat. Præd. civil. libr. i. 1. 1. Reg. cap. 2. 1. per. totum. Ezechiel. cap. 45. vers. 7. & seqq. - l. 11. D. de Evict. l. Antiochenium. D. de Privil. credit. l. si quando. l. si adficia. Cod. de Oper. Public. - l. 15. §. 2. D. de Rei vin-

dic. l. venditor. §. si constat. D. comm. Præd. l. 2. Cod. in quibus caus. serv. pro  
præm. libert. Cravett. consil. 172. num. 3. & consil. 592. Fachin. 8. contr. 63.  
Gail. 2. obs. 55. Anton. Gabriel. tract. de jure ques. nemini aufer. Christin. 1. de-  
cis. 130. Tholos. de Republic. libr. 6. cap. 13. num. 35. Faber distincte in Cod.  
libr. 1. tit. 11. def. 1. ibidemque alii, & tit. 12. defin. 1. Bronchorst. Misc. contr. 1.  
assert. 1. Zoef. D. de in jus voc. num. 16. & D. de Donat. num. 26. & 112. alios  
qui quarit, adeat Barbos. in coll. Cod. l. 2. de Prec. imper. offer. num. 22. & ad  
l. 6. Cod. si contr. jus.

## COROLLARIA.

- I. *Vs Patronatus repugnat juri divino, nec jure & civili est.*  
*introductum*
- II. *Libellus etiam post litem contestata mineodem iudicio cor-  
rigi ac mutari usque ad sententiam definitivam potest.*
- III. *Transigere super omni crimine capitali excepto adulterio.  
prohibitum non est.*
- IV. *Promissio presenti, & tacenti facta etiam in ejus comma-  
dum non est pactum.*
- V. *In mutuo est, & non est alienatio.*
- VI. *Pupillus sine tutoris auctoritate non obligatur.*
- VII. *Substitutio pupillaris ante institutionem valet.*

F I N. I S.

*In laudem & Honorem*

*Generosissimi, ac ex verâ Nobilitatis prosapia Orti Iuvenis Doctissimi,*

**D. JOHANNIS NADANYI**

**P**RÆclarum est, nasci de stemmate nobilitatis

Quem, natura parens officiosa, facit;

Ast præclarus est longè, virtutibus illud

Nactum conspicuis excoluisse probè.

Virtus nam crescit, crescens exurgit in altum,

Fruſtibus innumeris hæcce referta viret :

Evehit, ad summumque exaltat culmen honoris,

Terrigenæ scandunt hâc mediante polum.

Ne tamen oblitis ad metam vergere cernar.

Expatiatus equis, contraho fræna mea.

Deneger haudoris patrii juvénis Generose,

Regia progenies, digna parcente tuo,

(Non mihi vera loqui pudor est, non, vera fateri,

Cum numeres longæ nobilitatis avos)

Præclaris natura a stirpe parentibus ortum

Te donis summis, Mirificisque tulit.

Nobilitatis eò clarâ virtute refulges ,

Juris quod lancem rite tenere studes,

Dum tractanda sacris sumis venalia jura,

Ac fuscas pellis magnificè tenebras,

Oſtendis quod Thespia dum ſis chara propago,

Conſecrando Altis quod genioque vales,

Iane decus patriæ Nadanyi, ſpatium ergo juventæ

Muſis conſecres ; ſic tua fama viget.

*Latus findebat,*

**STEPHANUS F. TOLNAI.**

A D

942530  
Ad Eundem.


**N**on ego mendoſas conor producere voces,  
Armaquē pro rebus falſa movere probis.  
Dico quod teneo verbo generoſe ſodalis.  
*In genii plenum te omnibus eſe bonis.*

L. M. Q.

*Apposuit calamo currente*

FRANCISCUS SZENDREI.

STEPHANUS E. JOLNAY



e. 983

